QUAESTIONUM
PHILOLOGICARUM
NOVUM SPECIMEN

PROPOSUIT

HENR. CAROL. ABR. EICHSTAEDT, D.
SER. DUC. SAX. A CONSIL. AUL.
ELOQU. ET POES. IN ACADEM. JENENSI PROFESSOR
BIBLIOTH. ACAD. PRAEFECTUS SOCIET. LAT. DIRECTOR.

IENAE,
SUMTIBUS GOEPFERDTII
cIↃIↃcccIV.



PROOEMIUM.

Ante hos fere octo annos, quum profefforium munus in Academia Lipfienfi aufpicabar, *Quaeftionum philologicarum Specimen* edidi, in Theocriteis maxime et Anthologia Graeca occupatum. Quod quum ab eruditis, propter ipfam fortaffe argumenti varietatem, plaufus nonnihil tuliffe laetus intellexiffem: coepi jam tum fic perfequi inftitutum, ut alias eodem ex genere vel conjecturas vel obfervationes in chartam conjicerem. Ex his, fimili cauffa ad fcribendum impulfus, fumpfi nunc, quae nondum difplicebant, et, quantum facultas et otium, raro illud et parce conceffum, tulit, paffim limavi, alios ejusmodi libellos per alias opportunitates, quas academicorum munerum ratio offeret, fubinde propofiturus. Verfabuntur autem omnes ifti libelli

belli in veterum ſcriptorum inſignioribus quibusdam locis, qui etiam poſt noviſſimas editorum curas vel critices auxilio, vel interpretationis luce, indigere videantur. Satius enim arbitramur, res aggredi obſcuras, quae difficiles explicatus habeant, quam quae patefacta ſunt et illuſtrata ſtudiis plurimorum, denuo in lucem protrudere, malumusque his ita tractandis materiem afferre novis editoribus, quam recoquendis aliorum obſervationibus, novas ipſi editiones, neque illas emendatiſſimas aut exacta interpretatione minimum diſtantes, parvo aut nullo literarum emolumento venditare.

CAPUT PRIMUM.

Nemeſis: Adraſtea: Φθόνος θεῶν. *In iis inducendis variant veteres.* Ἄτη, *imprimis apud Aeſchylum. Hujus et Sophoclis quaedam loca corriguntur.* Δίκη *apud Euripidem multis in locis obvia, in aliis reſtituenda.*

Veteres quondam poëtae carmina ſua exordiebantur ab invocatione Muſarum, quae et ſuggererent dicenda, et dictis fidem atque favorem conciliarent. Hodie, in tanta et lectorum et cenſorum multitudine, Dice et Nemeſis, venerandae divae, ſcriptoribus implorandae ſunt, quarum haec cubitum et frena, illa inextricabiles retium nexus et greſſum in ipſa claudicatione non inertem, judicibus oſtentet. Ab his ergo deabus etiam nos, qui non carmina, ſed carminum quorumdam emendationes, eruditorum cenſurae ſubjicimus, boni ominis cauſſa hunc libellum auſpicabimur.

Nec

Nec vero prolixam nunc de *Nemesi*, ejusque officiis et muniis, ingredi disputationem libet, cujus praecipuae quaedam partes suos nuper explicatores invenerunt. [1] Sufficit pauca praemonere, quibus ad veterum nonnulla de Nemesi cognatisque deabus loca, vel corrigenda, vel explananda, non incommode aditus muniatur.

Priscam quum Graeci barbariem moribus disciplinaque delere coepissent, nequedum ad eum essent culturae gradum elati, quo indomitae atque effrenatae animi cupiditates consilii ac rationis gubernatione reguntur: ingeniose ab iis salubriterque ad commonefaciendas hominum mentes

[1] Nota sunt et multis passim laudibus celebrata, quae scripserunt J. G. Herderus (*Nemesis, ein lehrendes Sinnbild*, in *Zerstreueten Blättern* II. p. 213-272), Car. Aug. Boettigerus (in *prolusione altera de Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente, sive de Nemesi Herodotea*, Vinar. 1793. 4, inserta quoque *Ruperti* et *Schlichthorstii Commentatt. philologicis* Vol. II. p. 54. seqq.) et Jo. Luzac (in *Exercitatt. academicarum specimine secundo et tertio*; quae continent *observationes in loca veterum, praecipue quae sunt de vindicta divina*, L. B. 1792. 93. 8.) Add. *Valckenarii Callimachea* p. 180. seqq.

mentes effictum exornatumque est commentum de Nemesi, temperantiae et moderationis, etiam in prosperrimis rebus, gravissima fautrice, fastus ac superbiae omnisque ostentationis severissima vindice. Quae notiones quamquam satis antiquae fuerunt, et iis quoque temporibus, quibus Adrastea, immutabilium naturae legum custos, in Nemesin jam transierat, [2] plurimis tum carminibus poëtarum, tum artis operibus expressa reperiuntur: tamen nec apud omnes scriptores tam augusta exhibetur species deae, neque imperium ejus ita certis fuit limitibus septum, quin etiam aliis illud numinibus interdum pateret.

Nam, ut a poëta incipiamus, cujus in carminibus prima hujus deae vestigia inveniuntur, Hesiodus quidem in antiquissimo ac genuino, uti censemus, opere, quod Ἔργων nomine celebratur,

2) De Adrastea quod verbo monui, id si quis diligentius perquirere cupiat, materiem disputationis collectam, non item digestam, reperiet in Buonarrotti libro: *Osservazioni istoriche sopra alcuni medaglioni antichi* XI. p. 220. sq. et in Siebenkesii *Anecdotis Graecis* p. 64. De Adrastea, Nemesi, Fortuna, Fato, Parcis, Furiis quae in vulgaribus libris traduntur, magnam confusionem habent notionum et religionum, ad quam tamen quodam modo ducunt ipsi veteres.

tur, illam Nemeſis notionem ſequutus, Pudorem ei attribuit [3], quocum tamquam comite, relicta mortalium deterrima progenie, ad coeleſtes redierit; ſed auctor Theogoniae, paullo ille ſerior poëta, Nemeſin exhibuit Noctis filiam, deam omnium exitioſiſſimam, Eridis ſororem atque Senectutis. [4] Quippe omnes hominum calamitates et clades religioſa vetuſtas ad deos tamquam auctores referebat, et, ut diverſa erat ſentiendi de his ratio, cauſſas illarum nunc a juſtitia nunc ab invidia et malignitate deorum ſuſpenſas dolebat. Herodotus autem, Homericae rationis etiam hac in re ſectator, Nemeſin prorſus ignoravit. Quamvis enim in animo ejus inſide-

3) Καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν,
Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην, προλιπόντ' ἀνθρώπους.
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. — — Opp. et D. v. 198.

4) Τίκτε δὲ καὶ Νέμεσιν, πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι,
Γῆρας τ' οὐλόμενον, καὶ Ἔριν τέκε καρτερόθυμον.
Theog. v. 223. 24.

Quae apud Smyrnaeos colebantur Nemeſes, pariter Noctis filiae putabantur. Cf. Pauſan. Achaic. To. II. p. 250. ed. Fac. Occurrunt eaedem in numis. V. Begeri *Theſaur. Brandeburg.* T. I. p. 671. T. II. p. 61. Liebii *Gotha numar.* p. 262.

ſideret communis iſta opinio de numine, quod ſecundae fortunae vana oſtentatione offendatur, attenuet compeſcatque faſtum, arrogantiam odio et poenis proſequatur [5]: nuſquam tamen deam illam commemoravit, quam Nemeſin, Adraſteam, Rhamnuſiam Graeci dixerunt, univerſa potius τοῦ θείου mentione acquieſcens [6].

Nec valde abhorrent ab Homerica ratione tragici poëtae, eorumque praeſertim parens, Aeſchylus. Qui quo παθητικωτέραν efficerent tragoedias ſuas, non ea in ſcenam produxerunt mala, quibus obnoxia eſt humanae naturae imbecillitas, ſed has potius ſpectandas audiendasve exhibuerunt

5) Is eſt notus ille φθόνος θεῶν. Vim vocabuli (a φθέω vel φθένω, v. HEMSTERHUS. in *Lennepii Etymologico* p. 1060), non diverſam antiquitus a poteſtate vocabuli νέμεσις, ſed distinctam ab ea diligentius acumine philoſophorum (v. *Ariſtotelis Rhet.* II., 9. 10. To. IV. p. 213. ſq. Bip. collat. *Ethic.* II., 7), bene declaravit BOETTIGERUS libr. laud. pag. 78. 79. Add. GARVE *Verſuche üb. verſchiedene Gegenſtände der Philoſophie*, II. p. 51. Populariter hac de re philoſophatus eſt GESNERUS in Opuſculis minoribus varii argumenti, Vol. III. p. 336.

6) Cfr. VALCKENAR. ad *Herodotum* p. 216, 59. DORVILLIUM ad *Charitonem* p. 577.

runt calamitates et poenas, quas per iram coelestium flagitia humana tulerunt. Easque poenas sumere dii putabantur non de iis solum, qui male patraverant, verum etiam de his, qui affinitate, necessitudine aut quocumque alio modo cum illis erant conjuncti. Hinc tragicae affectiones, quas in metu et commiseratione Aristoteles posuit, emergunt; hinc sublimitatis et majestatis plena fit tragoedia. In talibus autem Aeschylus aut ordinem omnem seriemque caussarum ad Fatum revocat, cujus diram et inevitabilem necessitatem effugere mortales nequeunt, sed praesentiunt quodam modo et praevident, ut cum tragicae actionis gravitate servetur humana dignitas, et in summis infortuniis tamen rerum prudentia major appareat; aut numen in genere commemorat, aut Jovem perhibet supplicii auctorem [7], aut denique Aten inducit. Et *Ates* quidem, non Homericae illius, dearum omnium perniciosissimae et infestissimae, quae ad injurias et prava facinora occaecatum hominem rapit [8], sed arbitrae impie factorum, nec superbis tantum, sed omnino sceleratis eorumque amicis et posteris, e consilio et voluntate deorum justas

7) Perf. 825. Sept. c. Theb. 485.

8) Congesta sunt loca Homerica in HEYNII *Excursu* I *ad Iliad.* XIX. VOL. VII. p. 704. sqq.

ſtas poenas inferentis, crebra ſit apud Aeſchylum mentio. Quin noxa quaevis et calamitas, divinitus mortalibus immiſſa, in fabulis Aeſchyli et caeterorum communi ἄτης nomine venit. Sic in Agamemnone v. 1132 τάχεῖα δ' Ἄτα πέλει; ſic alibi [9].

Sed reſtituendum hoc vocabulum etiam Choëphoris v. 77: quo de loco me nondum poenitet conjecturarum, quas olim protuli in Cenſura noviſſimarum Aeſchyli editionum, Schützianae et Porſonianae [10]. Nimirum totus locus ita ſcribendus videtur:

Ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ Δίκας
Ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει,
Τᾷ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου
Μένει χρονίζουσα βρύει.
Τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ.

Perperam vulgo: τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει, χρονίζοντ' ἄχη βρύει. Allegoriam de vindicta divina, quae tarditatem poenae gravitate compenſet, acute explicuit Schützius. „Tria „enim

9) Cfr. Valckenar. ad Euripidis Hippol. p. 193.

10) Inſerta eſt ea cenſura Ephemeridibus literariis, quae tum Jenae prodibant, a. 1797. n. 221.

„enim tempora, meridies, crepuſculum, media „nox, totidem intervalla poenarum divinarum „creſcentesque pro morarum tarditate ſupplicio- „rum acerbitates deſignant." Sed quum ſententia eſſet generaliter exprimenda (τοὺς μὲν — τοὺς δὲ), chorus commotiore animo, eodemque ad Clytaemneſtrae fortunam directo, ſic invertit orationem, ut quae menti ejus obverſabatur mulier, eam ipſa verborum ſtructura quaſi e longinquo monſtraret: Τᾶ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου μένει χρονίζουσα βρύει.

Quae ſequuntur in Aeſchyli loco, male a Pauwio eiusque ſectatoribus pro epodo habita, meo judicio ſic emendanda ſunt:

Δι' αἷμ' ἐκποθὲν δ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ
Τίτας φόνος πέπηγ', οὐ διαρυδᾶν.
Διάλγῆς δ' ἍΤΑ διασπαράσσει,
Διαφέρει τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου.
Οἴγοντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἑδωλίων
Ἄκος· πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ
Βαίνοντες τὸν χειρομυσῆ φόνον
Καθαίροντες λούσει' ἂν μάτην.

Depravatus erat locus errore librarii, qui verſum 63 repetiverat poſt verſum 67: hinc verbis παναρκέτας νόσου adhaeſerat βρύειν; hinc grave

ve illud ac plenum roboris διασπαράσσει, in Aldina et Turnebiana ſervatum, in reliquis editionibus exciderat. In ultimo autem verſu vulgatam lectionem, καθαίροντες ἰοῦσαν ἄτην, quam Porſonus tenuit, ita reſinximus, ut conformaretur emendatio ad nótum ſchema, quod, etſi non proprium Pindaro, tamen Pindaricum fere appellatur [11].

Huic ſtrophae reſpondet antiſtropha v. 72-80, in qua v. 74 πατρίων pro πατρῴων metri cauſſa repoſuimus, caetera hunc in modum correximus:

Δίκαια καὶ μὴ δίκαια πρεποντ' ΆΤΑΙΣ βίου
Βίᾳ Φερομένων αἰνέσαι, πικρὸν Φρενῶν
Στύγος κρατούσῃ· δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων
Ματαίοις δεσποτᾶν τυχαῖσι,
ΚρυΦαίοις πένθεσι παχνουμένῃ.

Vulgo legebatur verſu 76 πρέποντ' ἀρχαῖς βίου, quod Schützius mutari juſſit in τύχαις βίου, ut is verſuum ſenſus prodiret: „Nobis vero neceſſe eſt; — hanc enim neceſſitatem (ſervitii „ſcil.)

11) Videndi ſunt de hoc ſchemate Lesbonax περὶ σχημάτων p. 184. ed. Valck. Petitus *ad Euſtathium* T. III. p. 1072. Ruhnkenius ad *Hom. H. in Cererem* p. 75.

„ſcil.) urbi meae (expugnatae) communem dii „nobis impoſuerunt, quum nos ex aedibus pa„ternis in ſervilem conditionem abripi pateren„tur; nobis igitur neceſſe eſt, *prout vitae no„ſtrae fortunae convenit*, eorum qui vi et impe„rio graſſantur (Clytaemneſtrae et Aegiſthi) fa„cinora, ſive juſta ſive injuſta ſint, laudare, „acerbam animi indignationem ſilentio premen„tibus, et ne erumpat, coërcentibus." Nobis convenientior videbatur Scholiaſtae explicatio, qui verba aptius junxit: *Πρέποντά μοί ἐστι καὶ ὀφειλόμενα — τὰ τῶν πρὸς βίαν κεκτημένων ἐπαινέσαι.* At decet hoc et vero oportet fieri *ἄταις βίου*, *propter calamitates vitae*, h. e. propter ſervilem, quae ſubeunda fuit, conditionem.

Caeterum ne quis *vulgatarum lectionum* mentione facta in fraudem inducatur, ſciat lector, nobis ante oculos fuiſſe Schützii majorem editionem. Nam in minorem, eamque cultiorem, quae triennio abhinc prodiit, receptae ſunt ex iſtis emendationibus nonnullae, aliae ipſius editoris acumine repertae, quaedam denique ex Hermanni libris criticis in textu collocatae.

Et is quidem, quem ultimo loco laudavimus, vir doctiſſimus, quo in libro noſtras ſuper Ae-

Aeschyli Choëphoris observationes novae censurae subjecit [12], in eo alium hujus poëtae locum ad eamdem normam, nobis jam olim, quum jucundo ejus contubernio adhuc frueremur, plane consentientibus, verissime correxit. Est ille locus in septem contra Thebas v. 317:

Πρὸς τάδ', ὦ πολιοῦχοι
Θεοὶ, τοῖσι μὲν ἔξω
Πύργων ἀνδρολέτειραν
Καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν
Ἐμβαλόντες, ἄροισθε
Κῦδος.

In isto languore verborum: ἀνδρολέτειραν καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν, quis Aeschyli spiritum agnoscat? Scribendum haud dubie:

Πύργων ἀνδρολέτειραν
ἌΤΑΝ, ῥίψοπλον ἌΤΑΝ
Ἐμβαλόντες.

Similis est locus Eurip. Hercul. Fur. 917; similis etiam Pindari Od. I, de quo posthac dicetur.

Ejusdem poëtae fragmentum, eodem insigne vocabulo, videor deprehendisse in Plutarchi libro

12) *Observat. critic. in quosdam locos Aeschyli et Euripidis* (Lips. 1798. 4.) p. 47.

bro περὶ δεισιδαιμονίας cap. VII. (To. II. p. 168 seqq. ed. Francof. Vol. I. p. 665 ed. Wyttenb.) Qui locus, quoniam praestantissimum Plutarchi editorem nuper in errorem induxit, diligentiore cura dignus est. Explanare Plutarchus studet, quomodo, qui nullos credit esse deos, affici soleat iis, quae contra animi sententiam obtingant, et quo pacto religiosus vitae incommoda ferat. Quippe illum, si quidem sapiat moderatusque sit, tacitum tolerare fortunam, cujus ipse in sese, non extrinsecus, caussas quaerat, atque hinc auxilium sibi, certe solatium, parare; sin iniquior, omnes querimonias in casum fortuitum dirigere, providentiam autem in curandis dispensandisque hominum rebus nullam agnoscere. Superstitiosum contra etiam levissimo, quod acciderit, malo vehementer angi ac maerere, ultro sibi ingerentem metus et terrores, suspiciones ac trepidationes, omnique luctu et gemitu percelli. Οὔτε γὰρ ἄνθρωπον, οὔτε τύχην, οὔτε καιρὸν, οὔθ' αὐτὸν, ἀλλὰ πάντων τὸν θεὸν αἰτιᾶται, κἀκεῖθεν ἐπ' αὐτὸν ἥκειν καὶ φέρεσθαι ῥεῦμα δαιμόνιον ἌΤΗΣ φησί, καὶ, ὡς οὐ δυστυχὴς ὤν, ἀλλά θεομισής τις ἄνθρωπος, ὑπὸ τῶν θεῶν κολάζεσθαι, καὶ δίκην διδόναι, καὶ πάντα πάσχειν προσηκόντως δι' αὐτὸν τὸν νοῦν. Quo in loco primum verba, quae diductis literis scripsimus, desumpta esse ex Aeschyli

ſchyli quadam tragoedia, deinde ultima δί αὐτὸν τὸν νοῦν vitio laborare cenſemus. Senſit hoc etiam Wyttenbachius, ex uno codice reponens οἴεται: quaſi iſte a diis ſe puniri, iſtaque perpeti merito ſuo exiſtimet. Id autem non modo nexui totius loci, ſed ſententiarum quoque, hac ipſa enuntiatione expreſſarum, tenori manifeſte repugnat. Quippe ſuperſtitioſus ille, quem Plutarchus notavit, omnem infortunii ſui culpam in deos conjicit; quamcumque et corporis invaletudinem (ſicut poſtea per partes docetur), et pecuniae jacturam, et mortem liberorum, et in cauſſis civilibus offenſionem aut repulſam, eſſe πληγὰς θεοῦ, fierique πρὸς βουλὰς δαίμονος autumat, ſemet ipſe numquam incuſat (οὐθ' αὑτὸν αἰτιᾶται). Ad hunc ergo concentum ſententiarum et cohaerentiam accommodari certe debebant verba ſcribendo: δί αὐτῶν τὸν νοῦν. Sed hoc quoque quum frigeat, Plutarchum, vel poëtam potius, quem Plutarchus more ſuo expreſſit, dediſſe ſuſpicamur: δι' αὐτῶν κότον, *per iram deorum*. Reſtitutum vocabulum ſaepius adhibuit Aeſchylus. Sic in Agamemnone v. 632: χειμῶνα — 'ελθεῖν τελευτῆσαί τε δαιμόνων κότῳ, et verſu 1203: πῶς δῆτ' ἄνατος (ut bene correxit Daveſius Miſcell. critic. p. 234) ἦσθα Λοξίου κότῳ;

Satis de Aefchylo. **Sophoclis** δουλίαν καὶ μεγάλαν ἄταν novimus e Trachin. v. 851, novimus ex aliis locis. Cfr. Jacobs Specimen Emendationum p. 34. Sed importune haec vox locum cepit, quem non debebat, in Antigones initio v. 4, ubi libri omnes, fcripti pariter atque impreffi, habent:

> Οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινόν, οὔτ' ἄτης ἄτερ,
> Οὔτ' αἰσχρόν, οὔτ' ἄτιμον ἔσθ', ὁποῖον οὐ
> Τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Primum verfum, quia fenfum praebet prorfus contrarium ei, quem effufa in querelas Antigone exprimere volebat, Brunckiūs haud infelici audacia fic emendavit:

> Οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινόν, οὔτ' ἀτήριον.

Qua voce etiam Aefchylus utitur, non tamen ita conftanter, quin altera forma ἀτηρὸν faepius in ordinem revocanda fit, ut in Eumenid. v. 1005. Cfr. Bentleii Opufcula philolog. p. 230. Ad Sophoclis autem verfum quod attinet, laurea dignam cenfemus eam correctionem, quam ingeniofiffimus Coray, cujus amicitiam grati veneramur, jam pridem nobifcum communicavit:

> Οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινόν, οὔτ' ἄγης ἄτερ,

h. e. φθόνου ἄτερ, ἄφθονον, ideoque ἄνολβον, δυστυχές

τυχῆς. Latet eadem correctio cum multis aliis, quae admirabilem viri sagacitatem testantur, in Gallici interpretis Levesque animadversionibus ad Thucydidem To. III. p. 261.

In Euripidis tragoediis loca plura sunt, quae ἄτην δαιμόνων [13], pauciora, quae νέμεσιν θεῶν [14] vel φθόνον θεῶν commemorent. Frequentissimae autem reperiuntur apud philosophum poëtam descriptiones Δίκης, Jovis in puniendis hominibus administrae. Quam quum alii poëtae Jovi a pugillaribus seu tabulis esse [16], ejusdemque una cum Themide assidere solio [17] finxerunt, Aeschylus autem Ἄτῃ sociam attribuit atque consortem [18]: tum inprimis Euripides eam, gravissima imagine, rerum humanarum constantissimam spe-

13) Phoen. 1072. Med. 129. etc.

14) Orest. 1362.

15) Hecub. 288, ubi conferendus Musgravius.

16) Cfr. Valckenar. ad *Herodotum* p. 400. *Diatrib. Euripid.*. c. XVIII. p. 184.

17) Hesiod. Opp. et Dies v. 249, 256. Orph. H. LXI, 2. Plutarch. Moral. II. p. 781. B. Cfr. Arnaldus *de diis παρέδροις* p. 155. Spanhemius ad Callimach. *H. in Jovem* v. 82.

18) Agamemn. 1424, 25.

ſpectatricem, oculis mortalium minime adſpectabilem, exhibuit. Quippe eam omnia cernere, tacito lentoque greſſu ſceleratos perſequi, poenae ſeveritate tarditatem compenſare. Vt verbo complectar, Euripides providentiam divinam, in praemiis et ſuppliciis decernendis maxime conſpicuam, Δίκης perſona induit. Haec autem poëtae ratio quamquam non caret commentitiis fabulis, tamen ei impreſſa ſunt ſobriae philoſophiae tam luculenta veſtigia, ut, quo modo notiones ab imaginandi fingendique licentia ad rectum mentis judicium ſubinde adductae fuerint, non ſine voluptate cognoſcatur. Ac talibus locis Chryſippus, ut erat poëtarum ſtudioſiſſimus, utebatur ad ſententiam de providentia dilucidandam: in qua quomodo eum Stoici ſui ſequuti ſint, non eſt hujus loci exponere. Id potius pro conſilio noſtro agendum, ut ex Euripideis, a Valckenario [19] et Luzacio [20] collectis, deligamus nonnulla, quae critices ope reſtitui poſcant.

Summam Euripideae de Δίκῃ doctrinae complectitur egregium fragmentum, ſervatum Plutarcho de ſera numinis vindicta p. 6 ed. Wyttenb.:

Οὔτοι

[19] In notis ad Euripidis Phoeniſſas p. 30. Diatrib. Euripid. c. XVII. p. 186.

[20] Exercitat. ſupra laudat. pag. 118. et paſſ.

Οὔτοι προσελθοῦσ' ἡ Δίκη σε, μὴ τρέσῃς,
Παίσει πρὸς ἧπαρ, οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν
Τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρψῃ τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ.

Euripideum colorem etiam agnofco in verfibus, quos Theophilus Antiochenfis in fecundo ad Autolycum libro (cap. 37. p. 377. ed. Bened.) Dionyfio, nefcio cui, tribuit:

Ὁ τῆς Δίκης ὀφθαλμός, ὅς δι' ἡσύχου
Λεύσσων προσώπου, πάνθ' ὁμῶς ἀεὶ βλέπει.

Sic enim corrigendum eft fragmentum, cujus poftrema tantum fanitati reddidit Theodor. Canterus in Variis Lectionibus Lib. I. cap. 4. p. 18.

Adjiciemus aliud Euripidis ex Antigona fragmentum (To. II. p. 422. ed. Lipf.), in quo Dices nomen vitio fcribendi obliteratum eft:

Οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν, οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον
Τύραννον εἶναι· μωρία δὲ καὶ θέλειν,
Ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

Obfcuris verfibus nil lucis attulit Musgragius. Speramus, conjecturam noftram, quae Reizio olim placuit, pluribus fe commendaturam effe:

Οὔτ'

Οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν, οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον·
Τύραννον εἶναι μωρία· Δίκη δ' ἐλεῖ,
Ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

Correctionem juvat Euripideus verſus in Heraclid. 940:

Ὦ μῖσος ἥκεις· εἷλέ σ' ἡ Δίκη χρόνῳ.

Nec disſimile fragmentum eſt in Antiope (T. II. p. 424), Luzacii acumine (l. l. p. 119) bene ſic reſtitutum:

Δίκα τοι, Δίκα χρόνιος·
Ἀλλ' ὁμῶς ἐπιπεσοῦ-
σ' ἔλαθεν, ὅταν ἕλῃ
Τιν' ἀσεβῆ βροτῶν,

h. e. ut Horatianis utamur:

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede Poena claudo.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Dice Latinorum Poena: Dice, Ate et Nemesis conjunctae. Theognidis locus comparatus cum Pindarico: Pindaricus emendatus. De authentia carminis Isthmii postremi dubitatio. Corrigitur Moschi locus. Hades s. Orcus Nemesi, Atae, Dicae nusquam junctus, nedum cum iis permixtus.

Quam Δίκης nomine deam Graeci coluerunt, ei quoniam id muneris fuerat impositum, ut flagitiis animadversionem et poenas inferret: non modo intelligitur, quo jure Latini suam illam *Poenam* substituerint [1], verum etiam quid cogna-

1) Latini quam proprio vocabulo *Poenam* appellarunt, *non semper* Furiam aliquam (v. Marklandi *Epistol. crit.* p. 123), sed hanc ipsam Dicen intelligendam esse, patet e multis locis, et passim a viris doctis monitum est. Cfr. Wyttenbach. ad *Plutarch. de sera numinis vindicta* p. 18. *Intpp. ad Horatium* III. Odar. II, 31.

gnationis ei cum Nemesi [1], quid necessitudinis cum Ate intercesserit. Nec desunt loca veterum, in quibus mixta sint et permutata harum dearum officia. Hinc lucem et lucrabuntur et vicissim dabunt Theognidea v. 203 seqq.

Ἀλλὰ τάδ᾽ ἀνθρώπων ἀπατᾷ νόον· οὐ γὰρ ἔτ᾽ αὐτοὺς
  Τίνονται μάκαρες πρήγμασιν ἀμπλακίας.
Ἀλλ᾽ ὁ μὲν αὐτὸς ἔτισε κακὸν χρέος· ὃς δε φίλοισιν
  ἌΤΗΝ ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν·
Ἄλλον δ᾽ οὐ-κατέμαρψε ΔΙΚΗ.

Medium distichon, vix dubito, quin e Pindari sit loco adumbratum, qui est Olymp. I, 87, ubi de Tantalo, fortuna sua elato:

  Ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι
Μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη·
Κόρῳ δ᾽ ἕλεν
Ἄ τ α ν ὑπέροπλον, τάν οἱ
Πατὴρ ὑπερκρέμασε, κάρτερον αὐτῷ λίθον.

Quae si sana sint, κόρῳ contra Pindaricam consuetudinem capiendum erit pro διὰ κόρου, et οἱ

[1] Nemesis enim nunc Δίκης θυγάτηρ (Mesomed. Hymn. in Analect. Brunck. II. p. 293), nunc Δίκης ἄγγελος (Plato de Legg. VIII. p. 188) dicebatur, nunc socia ei et comes adjungebatur.

οἱ conjugandum aut cum remotiore αὐτῷ, aut cum vocabulo πατὴρ, ut ſit *pater ejus:* quamquam ego de hoc uſu dativi in *tali* junctura verborum dubito, neque ſimilis eſt locus Nem. VII, 32, ψεύδεσσίν οἱ, ποτανᾷ μαχανᾷ, σεμνὸν ἔπεστί τι, ubi duplex dativus ſic pendet ab uno verbo, ut ad idem ſubjectum, quod dicunt, animus revocetur. Languidum eſt autem et ineptum, noſtro in loco αὐτῷ nectere cum κάρτερον, et talem verborum conſtructionem praeire: λίθον τὸν αὐτῷ κάρτερον ὄντα. Ne quid dicam de Heynii conjectura, qua et metrum corrumpitur, et disjunctis membris orationis, quae lyricus ſpiritus ſociaverat, ipſa ſublimitas perimitur. Amat enim Pindarus, propria et tropica in eadem enuntiatione per ejusdemque verbi velut copulam ſic conjugare; ut novitate et audacia dictionis mentes lectorum incendantur. Quapropter ſcribendum putamus:

Ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι
Μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη·
Κόρος δ' ἕλεν.
ἌΤΑΝ, ὑπέροπλον ἌΤΑΝ
Πατὴρ ὑπερκρέμασε κάρτερον αὐτῷ λίθον.

Nempe ſententiam, proſaice ſic efferendam: „moderate magnam felicitatem ferre non potuit,

 „inſo-

„insolentiaque poenam sibi contraxit, ingentem „poenam, qua pater ipsi superne appendit pon„derosum lapidem", hanc sententiam Pindarus tum lyrica verborum junctura, tum alacritatate dictionis ita adjuvit, ut et incitatius feratur, et postremo omnia in unam grandem imaginem confusa animis proponantur. Ad quam juncturam verborum si Gnomici illius versus exigimus, laudem meretur poëta, qui retento illo ἄτην ὑπερκρέμασε, tamen a Pindarica audacia callide orationem et accommodate ad gnomarum simplicitatem et prope pedestrem sermonem deflexit. Sed callidiorem totius loci imitationem deprehendisse nobis videmur in Isthm. VIII, v. 20 - 29: quod carmen quibus caussis adducti a principe Lyricorum abjudicemus, alio tempore explicabitur.

Admonet nos Gnomici locus, ejus ut auxilio utamur ad mendam aliquam e Moschi in Bionem epitaphio eluendam. Ibi versu 122 suum poëta magistrum luget veneno occisum:

Φάρμακον 'ῆλθε, Βίων, ποτὶ σὸν στόμα, Φάρμακον εἶδες.
Πῶς τευ τοῖς χείλεσσι ποτέδραμε, κοὐκ 'εγλυκάνθη;
Τίς δὲ βροτὸς τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι,
Ἢ δοῦναι καλέων τοι Φάρμακον; ἔκΦυγεν ᾠδάν.

Primo

Primo verſui, in quo pro inertiſſimo εἶδες Valckenarius, Iſ. Voſſium ſequutus, εἶλες malebat, meo ſenſu major accedet vis repetito ἦλθε: quam verborum repetitionem Moſchus imprimis amat. Quartus verſus miſere depravatus eſt. Nec ſat erit pro καλέων τοι ſubſtituere καλέοντι, quod ſunt qui ita interpretentur: „Qui miſcere „tibi venenum ſustinuerit, aut quum poculum „*poſceres*, tibi pro ſano potu in manus tradere." Friget emendatio, friget interpretatio. Jacobs conjecit: ἢ δοῦναι χαλεπὸν τόδε φάρμακον. Mihi una ſatisfacit correctio Reizii, optimi quondam et de me meritiſſimi praeceptoris:

Ἢ δοῦναι κελάδοντι τὸ φάρμακον, . .

quod verbum in libro manu ejus ſcripto, qui penes me eſt, ita explicuit: *ſonos muſicos edenti, muſice ac ſuaviter ſonanti.* Sed ineſt offendiculum in clauſula verſus, ἔκφυγεν ᾠδάν: cujus languor meliore certe interpunctione levandus erat. Id fecit Wakefieldus, ſublato poſt φάρμακον interrogationis ſigno, ac repoſito poſt ᾠδάν. Et videtur vir doctiſſimus acquieviſſe in Valckenarii explicatione, qui, quod valde miramur, abruptiſſima et cum praecedentibus nullo plane vinculo conjuncta loquutione nihil offenſus, ἐκφυγεῖν ᾠδὰν commode dici de eo putavit, qui

careat omni ſenſu elegantiae muſicae. Vellem equidem, Valckenarius et exempla hujus loquendi uſus protuliſſet, quae mihi nusquam occurrerunt, et explicationem ſuam cum totius loci contextu in concordiam redegiſſet. Nam quae ſequuntur poſt intercalarem verſum, apertiſſime indicant, de veneficorum non tam inhumanitate et ſaevitia, quam poenis et ſuppliciis poëtam ita dixiſſe, ut horum cogitatione dolorem ex morte Bionis ſusceptum quodam modo conſolaretur. Quamobrem totum locum ſanandum arbitror his emendationibus:

"Αρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε Μοῖσαι.
Φάρμακον ἦλθε, Βίων, ποτὶ σὸν στόμα, φάρμακον ἦλθε.
Πῶς τευ τοῖς χείλεσσι ποτέδραμε, κοὐκ 'εγλυκάνθη;
Τίς δὲ βροτὸς τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι,
"Η δοῦναι κελάδοντι τὸ φάρμακον, ἔκφυγεν "ATAN;
"Αρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε Μοῖσαι.
'Αλλὰ ΔΙΚΑ κίχε πάντας.

"Ατα et Δίκα hoc in loco ſibi plane reſpondent, ut ſupra in Theognideis. Et qui virtutes denique norit intercalarium verſuum, non ſine artificio ſic interrumpentium orationis cohaerentiam, ut enuntiata et prope finita ſententia

tia poſt ejusmodi pauſam fortius ac vehementius inculcetur, ei magis, ſperamus, de veritate correctionis perſuadebitur.

Nondum licet diſcedere a Moſchi loco per Joannem Luzacium, qui copioſam ſuper eo disputationem Exercitationibus ſuis pag. 121 - 126 inſeruit. Ejus diſputationis ſumma huc redit, ut, „quoniam, quae Nemeſi, Fato, Ὄπι, Ποι„νῆ, Ἐριννῦσι, Ἄτῃ, Αἴσῃ, Δίκῃ in theologia ve„terum tribuantur partes, *eaedem aliquando et* „*Plutonis ſint, Ditis, Orci, vel* τοῦ Ἄδου", ideo Moſchi verſus ſic potius corrigendi videantur:

Τίς δὲ βροτὸς, τοσσοῦτον ἀνάμερος, ἢ κεράσαι τοι,
Ἢ δοῦναι κεράοντα *τὸ φάρμακον, ἐκφυγεν Ἄδαν;*

Quis tam crudelis, tibi qui miſcere venenum;
Vel dare ſustinuit, poſt atque effugerit Orcum?

Prioris correctionis ut elegantia, ſi forte, probaretur, grammatica ratio et ſenſus pro *κεράοντα* potius *κεράσαντα* flagitabant. Poſterior autem emendatio ejusmodi eſt, ut eamdem, quam nos deſiderabimus, ſententiam, ſed plus antiquae et reconditae venuſtatis afferre loco videatur.

Sed

Sed nos veremur, ne infirmiſſima ſint, quibus venuſtas illa innititur, fundamenta. Nam qui loci allati ſunt ad hanc novam doctrinam ſtabiliendam, eos vir eximius cupidius, quam verius, in rem ſuam et ſententiam traxit. Nolumus exagitare ſingula, quae in iſta numinum complexione Luzacius miſcuit; in iis ſubſiſtere lubet, quae errori de communi quadam Orci et Nemeſis provincia anſam dederunt. Et epigrammate quidem, quod vir doctus primo loco hanc in rem adhibuit (Analect. Brunck. T. III. p. 250. n. 466):

Μήτηρ μὲν σὺν παιδὶ κατέφθιτο, αὐτὰρ ἐπ' αὐταῖς
Ποίνιμος ἔκτεινε φῶτα λιθοκτονίη·
Καὶ ταῦτ' οὔτ' Ἄϊδος, οὔτ' Ἄρεος, ἔργα δ' Ἔρωτος,
Λεύσσομεν, οἷς παίζει κεῖνος ὁ νηπίαχος,

hoc igitur epigrammate nulla, niſi haec, continetur ſententia, mortem, quam infelix amator, amicae ſepulcrali cippo necatus, obierit, non eſſe neque neceſſitatem naturae, nec bellicorum laborum finem, ſed Amoris improba levitate allatam eſſe. Nam qui reddunt debitum naturae, dicuntur εἰς Ἄϊδος venire; qui exſtinguuntur immatura morte, eos etiam rapere Ἅδης dicitur. Quod ſatis tritum eſt, praeſertim perpetuis commen-

mentariis. Hinc ſponte patet ratio Euripidei loci, quo et ipſe Luzacius ad „luculentiorem „illam τοῦ "Ἄδου ſignificationem" eruendam ab- „uſus eſt, Troad. v. 596 edit. Musgravianae:"

Οἷδε πόθοι μεγάλοι, τάδε σχέτλια πάσχομεν ἄλγη,
Οἰχομένας πόλεως, ἐπὶ δ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται,
Δυσφροσύναισι θεῶν, ὅτε σὸς γόνος ἔκφυγεν ᾅδαν,
Ὃς λεχέων στυγερῶν χάριν ὤλεσε Πέργαμα Τροίας.
Αἱματόεντα θεᾷ παρὰ Παλλάδι σώματα νεκρῶν
Γυψὶ φέρειν τέταται· ζυγὰ δ' ἤνυσε δούλια Τροία.

Nihil hic de Orco, qui inſtar alicujus Nemeſis aut Dices ſupplicia ſumat de improbis. Is potius ſenſus eſt: Alexandrum effugiſſe Orcum, h. e. non mortuum eſſe, quamvis Caſſandra, illius ſoror, peteret, clamaret, obſecraret, ut occiderent recens natum, olim urbis Trojanae perniciem et ruinam. Longius progreditur Luzacius. Nam, quo validius emendationi ſuae robur adjiciat, hunc potiſſimum Tragici locum Moſcho ob oculos fuiſſe, hunc *exſcriptum* ab eo fuiſſe, pronuntiat. Laudabunt obſervationem, et laetabuntur, qui ubivis imitationes et conſectantur et vident: ut creſcat gaudium, nos alium indicabimus ejusdem Tragici locum, qui non minore verborum ſimilitudine noſtram correctionem juvet. Is eſt in Medea verſus 987:

Καὶ μοῖραν θανάτου
Προςλήψεται δύστανος.
Ἄταν δ' οὐχ ὑπεκφεύξεται.

Utri imitationi fides fit habenda in reſtituendo Moſchi loco, commentatores iſti exputabunt. Denique cauſſam ſuam Luzacius defendit Euripideis verſibus, qui ſunt Andromach. 1188 ſqq. ubi Peleus ſenex ita queritur:

Ὦ γάμος, ὦ γάμος,
Ὃς τάδε δώματα καὶ πόλιν ὤλεσας.
Αἶ, αἶ, ἒ, ἒ, ὦ παῖ,
Μήποτε σῶν λεχέων τὸ δυςώνυμον
Ὤφελ' ἐμὸν γένος ἀμφιβαλέσθαι,
Ἑρμιόνας Ἀΐδαν ἐπὶ σοὶ, τέκνον,
Ἀλλὰ κεραυνῷ πρόσθεν ὀλέσθαι.

Verum etiam hoc in loco Hermiones Ἄδης neutiquam eſt „ira deorum, vel Vindicta, quae „totum Atridarum genus, perſequebatur"; immo malus genius eſt Hermiones, uti bene reddidit vulgata verſio, non ultor ille et vindex flagitiorum, ſed qui infeſtabat Atridarum genus, eique mala inferebat.

Itaque, ut ſummam argumentorum breviter et abſolute exponamus, in Moſchi loco ſi Orcum intelligamus de Nemeſi aliqua, ſcele-

rum

rum ultrice, id quod Luzacius primum ſuaſit, huic explicationi repugnat loquendi conſuetudo; ſin de ipſa morte capiamus, qua immature exſtincti ſint venefici, ad quam explicationem Luzacius deinde rejicitur, haec quidem ſententia non apta eſt tenori et cohaerentiae, nec facta Orci tali mentione poterat demum verſu 124 Dice nominari, quae antecedere potius Orci commemorationem, ſeu mortem ſceleratis immittere debebat.

Certum proinde et exploratum videtur, τῷ "Αδῃ nil commune fuiſſe cum Nemeſi, Ate et Dice: ſed communionem quamdam, apud ſeriores imprimis poëtas, cum illis habebat Alaſtor, πικρὸς δαίμων, quem Heſychius vocat. De eo optime diſſeruerunt Salmaſius et Viſcontius ad Inſcript. Herodis Attici I, v. 34:

'Αλλά μεν ἀπρόφατος Νέμεσις, καὶ ῥόμβος 'Αλάστωρ
Τίσονται, στυγερὴν δὲ κυλινδήσει κακότητα.

Add. Pauſan. I, 30. p. 75.

CAPUT TERTIUM.

Emendatur Xenophanis Colophonii carmen.

Multis praeclarisque in ſtudia humanitatis meritis, quibus Joannis Schweighaeuſeri nomen jam dudum exſplenduit, nuper, tamquam aliquis cumulus, acceſſit nova Athenaei Deipnoſophiſtarum editio, ſic ab eo inſtituta, ut lectionem fructuoſiſſimi operis mirifice adjutam, et Criticorum diligentiam ad alios hoc in genere conatus excitatam laetemur. Nam conanda et vero tentanda ſunt multa in ſcriptore, qui librariorum negligentia incredibiliter depravatus, plurimisque et graviſſimis difficultatibus circumſeptus eſt. Et poëtarum quidem fragmenta, quae Deipnoſophiſtae docta loquacitate crepant, quoniam

niam tanta adhuc vitiorum et multitudine et magnitudine laborant, ut lectores, magnificis nominibus captos, facile deterreant: haud ingratum, ſperamus, accidet praeſtantiſſimo editori, ſi, quod ſtudium ipſe ſagacitate ſua et doctrina reſuſcitavit, id ad removendas, quae ſuperſint, obſcuritates modeſte transferamus. Quo conſilio nunc quidem *Xenophanis Colophonii* elegans carmen (Lib. XI. c. 3. p. 462, D), quod Schweighaeuſerus nondum tractavit, quomodo, ſublatis vitiis atque corruptelis, legendum videatur, breviter exponemus:

Νῦν γὰρ δὴ δάπεδον καθαρὸν, καὶ χεῖρες ἁπάντων,
Καὶ κύλικες· πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς στεφάνους,
Ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ παρατείνει,
Κρατὴρ δ' ἕστηκεν μεστὸς εὐφροσύνης·
Ἄλλῳ δ' οἶνος ἕτοιμος, ὅς οὔ ποτε φησὶ προδώσειν
Μείλιχος, ἐν κεράμοις ἄνθεος ὀσδόμενος.
Ἐν δὲ μέσοις ἁγνὴν ὀδμὴν λιβανωτὸς ἵησι,
Ψυχρὸν δ' ἐστὶν ὕδωρ καὶ γλυκὺ καὶ καθαρόν.
Παρκεῖνται δ' ἄρτοὶ ξανθοὶ, γεραρή τε τράπεζα,
Τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη.

Βωμὸς δ' ἄνθεσσιν χλοεροῖς πάντη πεπύκασται,
  Μολπὴ δ' ἀμφὶς ἔχει δώματα καὶ θαλίη.
Χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας
  Εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι νόοις·
Σπείσαντάς τε καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι
  Πρήσσειν· ταῦτα γὰρ ὢν ἐστὶ προχειρότερον.
Οὐχ ὕβρις πίνειν δ', ὁπόσον κὲν ἑλὼν ἀφίκοιο
  Οἴκαδ' ἄνευ προπόλου, μὴ πάνυ γηραλέος.
Ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει,
  Ὥ δ' ἡ μνημοσύνη καὶ νόος ἀμφ' ἀρετῆς,
Οὔ τι μάχας διέπειν Τιτήνων, οὐδὲ Γιγάντων,
  Οὐδέ τε Κενταύρων ἢ στάσιας Λαπιθῶν·
Φεύγειν δὲ φλεδόνας, τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστι,
  Τῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν ἀγαθῶν.

Verſu undecimo legitur in editionibus: Βωμὸς δ' ἄνθεσιν αὐτὸ μέσον πάντη πεπύκασται, vertiturque: *Ara quaquaverſum media floribus ſtipatur.* Lectionem corruptam eſſe, nemo non videt. Quod repoſuimus, tale non eſt, cujus veritatem praeſtemus, ſed viam fortaſſe ad verum inveniendum patefaciet. At certiſſima eſt emendatio, quarto decimo verſui adhibita. Vulgo:

go: εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις. Quod maxime jejunum eſt. Reſtitutam oppoſitionem plurima confirmant loca, e quibus unum Plutarchi memorabimus, qui eſt in libro de Iſide et Oſiride p. 378, D. (To. II. p. 548. ed. Wyttenb.) Deorum ibi cultores, ut *animis* et *linguis faveant*, monentur, ὅσια φρονεῖν, εὔφημα λέγειν. Verſu ſeptimo decimo pro ἔχων dedimus ἑλών, ſc. πότον, quae vox, noto ac legitimo veterum uſu, eruenda eſt e verbo πίνειν. Paullo poſt ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον bene habent: ſine cauſſa Caſaubonus ὑμνεῖν malebat. Sed gravis erat cauſſa corrigendi verba in ſequenti verſu: Ὡς ἡ μνημοσύνη καὶ τὸν ὅς ἀμφ' ἀρετῆς. Caſaubono haec excidit emendatio: Ὅσσ' ἡ μνημοσύνη, ἢ τὸν ὅσ' ἀμφ' ἀρετῆς. Raph. Fiorillo in Obſervationibus criticis in Athenaeum I. p. 102: Ὡς ἡ μνημοσύνη καὶ τόνος ἀμφ' ἀρετῆς: id quod non ſatis intelligimus. Verſu antepaenultimo legitur ἢ στάσιας προτερῶν. Ultimum vocabulum, quo minus cum voce Κενταύρων ſocietur, ſicut apud Theocr. XV, 141 προτεροὶ Λαπίθαι occurrunt, hoc loco impedit junctura orationis. Jam ſi ſeorſum illud capiendum ſit, quinam ſint iſti πρότεροι, qui cum Titanibus ac Gigantibus inducantur, fateor me ignorare, niſi Lapithae indicentur, quorum fre-

quen-

quentiſſima una cum illis mentio. At vero hos nominari oportebat, non obſcure indicari. Itaque vix dubito, quin gloſſema genuinam lectionem loco ſuo moverit. Verſu paenultimo recepimus praeclaram emendationem Raphaelis Fiorillo. Mendoſiſſimus erat verſus et initio ſuo truncatus: . . . . Φευδόνας, τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστι. Caſauboni haec erat conjectura: Οὐδ' ἄλλας Φλεδόνας, τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστι. Sed nugacibus et ineptis hominibus quo pacto tandem in ultimo verſu opponuntur Dii? Nam vulgata lectio haec eſt: Θεῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν ἀγαθήν. Et quaenam eſt ἀγαθὴ προμήθεια? Ex noſtra verborum emendatione verum et frugiferum naſcitur monitum: fugiendos eſſe homines ineptos frugisque expertes, bonos contra curandos atque reſpiciendos.